



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ**

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium  
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

**Puente, Luis de la**

**Pragæ, 1672**

Proloqvium Editionis Hispanicæ, Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38580**

AD LECTOREM.

**H**æc si magnopere expetita fuerit Vita Famulæ DEI, VENERABILIS VIRGINIS MARINÆ DE ESCOBAR, Fundatricis Recollectarū Monialium S. Birgittæ, quæ nunc sunt in Hispania; ob varias tamen intercurrentes causas, fuit dilata illius evulgatio, quoad præterlapso anno millesimo, sexcentesimo, sexagesimo mandaretur typo Madriti prima & præcipua ejusdem Pars, quam Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte Societatis IESV, qui illi fuit à Confessionibus, dispositam reliquit, eâ intentione, ut, si finis hujus Famulæ DEI responderet Vitæ, quemadmodum fore sperabat, prodiret in lucem post ejus obitum, tantoque minùs operæ impendendæ superesset alijs, qui curam susciperent evulgandi ipsius virtutes, & speciales atque inusitatas gratias, quibus à DEO fuerat cumulata. Adimpleta est conditio. Si namque magna erat fama, & opinio virtutis ac sanctitatis, quæ vixit Vallisoleti, in sua Patria, non fuit minor, quâ claruit in suo felici transitu, ac deinceps, attribuentibus illi nomen Sanctæ universis, atque confluentibus omnis conditionis hominibus, ad ejus sepulturam, & exequias, quæ duraverunt octiduo, cum tanto populi accursu, ac ijsdem demonstrationibus, quo in pretio haberetur ipsius sanctitas, ut non fuerint in illa celebri Vrbe unquam visæ majores. Quâ etiam postulante, paucos post menses, ejusdem Episcopus, D. F. Gregorius de Pedrosa instituit inquisitionē luridicam de illius vita, virtutibus & miraculis, nè eorum deperiret memoria. Verificatâ igitur conditione, cum adeò præclaris circumstantijs, visum est, non esse ampliùs differendam, sed publicandam, nomine sui Authoris, primam hujus Historiæ partem, reservatâ in aliud tempus secundâ, quæ continet acta ab obitu Venerabilis Patris Ludovici de Ponte.

Spero autem, primam Partem ejusdem Historiæ, quæ nunc in lucem prodit, non solùm acceptam fore illam lecturis, verùm etiam excitationem desideria, ut prodeat secunda, quò in utroque glorificetur DEUS, propter admirabiles & eximias gratias, quibus omni ævo eos dignatur, & honorat, quos specialiter eligit, ac vocat ad suam intimam, & familiarem consuetudinem,